



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

BB. XXVI. Iapones MM. 5. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ubi prodita pudoris arx conflagrasset. Ambulavit illa per omnes fraudes, sed cæcam ad munera, surdam ad blanditias & minas invenit. Itaque Prætor amorem vertit in odium, martyriq̄ue ubera auferri imperat. Tulit facillè eam jacturam virgo, gnata Ecclesiæ sobolem non tam lacte matrum, quàm sanguine martyrum ali: sed nec uberibus diu caruit, medicinam D. Petro faciente. Quintianus, ex amatore jam carnifex, dum nudam in testatum fragminibus prunisq̄; volutari mandat, ecce mota insolite terra, cum duos supplicij auctores oppressisset, populum etiam ita commovit, ut re ad seditionem spectante, ad carcerem virgo reduceretur. Ibi inter vota animam in sinum ac amplexus Sponsi sui expiravit. Tumulum sepultæ Cærites marmore ornarunt cum hac epigraphæ: *Mentem sanctam; spontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem.* Quintianus dum Panormum fortunas virginis direpturus trajicit, equorum calcibus in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ sitim positurus. Ajunt corpus ejus nunquam repertum sepulchro caruisse. Nimirum, ut castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab homine quidem meretur tumulari
Ex Surio.

Christi exemplo vivendum est tibi. o pudicitia amator, si Sanctorum cupis habere consortium. Ab immunditia & turpitudinis cogitatu peccatus emunda, quoniam nullos nisi sanctos & justos, simplices & continentos caelestis aula suspiciet. S. Laur. justin.
Lign. Vitæ cap. 3.

BB. XXVI. IAPONES MM.

5. Februarij.

Nillam Oriens tam nobilè, quàm Martyrum mittit purpuram. Eam anno M. D. XCVII. sanguine

sanguine suo Iapones tinxerunt. VI. erant supra
XX. qui Meaci auriculâ multati, Nangasaci in
crucem acti ac lanceis sunt confossi. Erant inter
hos sex è D. Francisci, tres è S. Ignacij familiâ; quo-
rum constantiam ex discipulis, ijsque pueris disce.
Tres erant Sacerdotum nuper ad aram ministri,
nunc ad crucem socii, ipsi mox futuri Sacerdotes
victimæ. Ex his LYDOVICVS annorum XI. &
emittendus è vinculis, si fidem fecisset missam,
respondit nolle se stultum mercatorem agere, &
momentum immortalitate mutare; in loco sup-
plicii suam sibi crucem monstrari voluit, ad eamque
velut ad cupedias cursu contendit. Calo denique
in cruce jam propior, oculis totoque corpore
gestiente, illuc videbatur evolaturus nisi vincula
prohibuissent. Geminus huic ANTONIVS cantu
invitavit ad mortem socios, & Davidis verba
(*Laudate pueri Dominum*) melior cygnus insonuit.
Idem omnium fuit ad cruces currentium certam-
en, eadem è crucis cathedrâ conciones, una
morientium vox Iesum ac Mariam inclaman-
tium, quæ cum à Christianis astantibus reddere-
tur, non potuit jucundior Dei auribus Echo ac-
cidere. Victoribus VREANVS VIII. pontifex
triumphum decrevit, & beatos pronuntiavit. *Ex
Ioann. Hayo.*

*An non merito coronabitur, qui sic certaverit,
mundum abiciens promittentem, irridens inimicum
tentantem, & quod gloriosus est, de semetipso
triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurien-
tem? S. Bernard. serm. I. de Omn. SS.*

S. BER.